

tulit Gallis timorem, qui e collibus castra Veneta prospexerant in amplissimum tabernaculis porrecta campi spatium: visumque eis est tantis oppositis hostium copiis rem ipsorum in angusto esse. itaque vulgo qui sapientiores erant, tribuni ducesque magis magisque regi sibi que verebantur, gravissimumque omnibus impendere casum atque periculum arbitrabantur. qui quidem timor ea quæ secuta est nocte auctus conduplicatusque est: magnæ enim pluviæ, ingentiaque tonitrua, & crebræ atque terrificæ coruscationes fuerunt, ut cœlum prope discedere videtur, ultimamque plurimi sibi noctem illam fore ea Deorum immortalium quasi denunciatione moniti crederent. Solet autem fere semper accidere, ut cum semel vehementis aliquis mentes hominum incessit timor, etiam iis quæ timenda non sunt, animi eorum magnopere perturbentur. quam ob rem cum parum in somno, multum in consiliis inter se fuissent, orta vix luce, qui fuit dies pridiæ calendas julias; Caroli præfæcti aciem instruxerunt; atque iter facere cœperunt. Interim consultis legatis, principibusque reliquis, quidnam esset potissimum agendum, legatis prælium dissuadentibus cum propter Senatusconsultum, de quo supra dictum est, tum vero etiam quod complures equitum turmæ, militumque centuriæ nequedum venerant: nam & Pandulfus Ariminensium, & Joannes Pisarense principes, & Paulus Manfronius cum sua quisque cataphractorum equitum copia, innumerique milites expectabantur: tandem Gallos aggredi, qui reipublicæ sociorum oppida cepissent atque incendissent, præliumque committi placuit.

Erant Gallorum copiæ tres in acies instruæ: quarum in priore magnam spem duces habebant, quod eam & numero equitum, ac militum robore munierant: eique ad diderat quatercentos ex cohorte regia eorum, qui sagittis in equo utebantur: quos quatuor millibus Helvetiorum militibus, quibus maxime confidebant, immiscuerunt. In media erat acie rex, eaque prope omnis Galliæ nobilitas continebatur. ab postremæ lævo latere impedimenta se-